



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvrghensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Diessen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

MONASTERIUM Canonicoꝝ Regulariũ S. Augustini, Hauto, aliàs Hanto, Comes de Andechs, Episcopus Augustanus, maximus illius Episcopatus locupletator & dotator, successit S. Symperto. Præfuit adhuc Año 840. sub Ludouico Pio: habuit fratrem religiosissimæ vitæ, Rarchardum Canonicũ, qui Monasterij S. Georgij Martyris, non procul à vico Diessen, vbi nunc est Ecclesia Parochialis, autor & fundator fuit. Quod postea per Arnoldum malum desolatũ & destructum est. Bruschius de Episcopis Augustanis ex Annalibus ibi. Vide Auent. fol. 378. vbi dicit ex nobilissimis Bauariæ Principibus prognatos, sed familiam præterit. Deinde Anno Domini 1013. instaurata est S. Georgij Ecclesia, per quendam Adelhaimum & fratrem eius Vdalricum.

SECUNDA fundatio: Kunigunda, aliàs Kunissa, vxor Friderici Comitis Diessensis, secundi illius nominis, filia non Ottonis Comitis de Valey, vt liber. Dietramzellensis per errorem habet; sed Conradi Comitis Oningenis, prope lacum Brigantinum & Richlitz, quæ fuit filia magni Ottonis Imperatoris I. Ista deuotissima matrona post mortem mariti fundauit Ecclesiam sancti Stephani, in qua posuit 3. Canonicos regulares; ibidem defuncta & sepulta. Auentinus scribit in eius sepulchro nuper inuentum laterem coctum, cum inscriptione Latina: Kunegundis peccatrix, huius loci fundatrix, istam construens aulam. 2. Nonis Martij, Antiõ 1020. Anno 1124. Hartuicus, Præpositus Monasterij S. Georgij, cum consensu Hermanni, Episcopi Augustensis, vnã cum suo Conuentu migravit ad Ecclesiam S. Stephani, propter maiorem commoditatem. Ibi Hartuicus Præpositus obiit Anno 1170. qui 46. annis laudabiliter præfuit.

TERTIA fundatio facta, Anno 1132. iuxta Bullam Innocentij secundi. Nam alia fundatio non extat, per illustres Principes, Berchtoldum Comitem de Andechs, & Ottonem Comitem de Wolfrathausen, vnã cum vxoribus, Sophia & Laurita, & liberis earum, qui arcem suam Damasiam verterunt in Monasterium, construẽtes ibi Ecclesiam, in honorem B. Mariæ Virginis, dotantes eam mobilibus & prædiis, nec non pluribus priuilegiis, ratione aduocatiæ & quarumcunquẽ exactionum, offerentes eam tutelæ B. Petri & sedis Apostolicæ, cui annuatim vnum aureũ persoluerent, vt latius in prædicta Bulla continetur.

Auentinus in Chronica fol. 692. ita ponit: Arnolphi filij, Poppo, Berchtoldus & Otto Wolfrathusius & Gebhardus, hi Damasiam in templum vertere. Otto Episcopus Bambergensis hanc Ecclesiam, multis quoque beneficiis & prædiis iuuuit, videlicet Kircheim, Münsing, Pierdarf, Schmiechen & Prunnẽn Ecclesiis; qui obiit Anno 1196. Henricus Comes, Wolfrathusius filius, secundum Bullam Innocentij, aliàs Nepos Ottonis prioris, cum liberos non haberet, multis donis & prædiis dotauit ac locupletauit Monasterium Diessense, Anno 1150. cuius rei extat ibidem in Calendario dicto ante veterem regulam documentum: Inter alia castrum Schönenperg in montanis, cum suis pertinentiis. Postea Otto, Dux Meraniæ, Palat. Burgund. & Henricus Marchio Istriæ, fratres, circa annum Domini 1220. multa bona & prædia eidem Monasterio contulere; inter alia Trebegast in Norico & Hermanstorf, ita vt quatuor Canonici regulares ibi residerent, & singulis annis Præposito & Conuentui soluerent marcã auri puri, quod vltra centum annos durauit. Postea quidam Comes de Orlantund inuasit illa loca, & vendidit Monasterio dicto Corona cœli in Norico pro 600. libris Hallensibus: quam summam, vix tandem magnis precibus & intercessionibus extorsit Præpositus Conradus, pro qua emit jurã patronatus, cum decimis in Kaufring, Vtting, & Schöndorf, Anno 1300. Hęc ex libro Dietramzellensi. Alibi reperio, quod Comes Or-

Iamundanus vendidit Burggrauis Nuernbergen, Kulmpach, Flaffenburg & Trebegast Anno 1336.

V E R S V S.

*Diessenses Proceres & eorundem mulieres
Semet cum donis nostris tribuere Patronis;
Interior fossa cunctorum continet ossa,
Nomina sed Procerum tenet hic locus & mulierum,
Spiritus illorum quò tendat ad alta Polorum
Hec optent iuuenes cum puerisq; senes.
Marchio Berchtoldus, conjunx Haduwigis & ejus,
Berchtoldus Comes, atq; sua conjunx preclara Sophia,
Cunrat Canonicus Comes Henricus Otto frater & eius,
Dux & Marchio Berchtoldus, sua nobilis uxor & Agnes,
Filius illorum, Marchio Henrich, vir honorum,
In cæli porta locet hos pia uirgo Maria.*

Anno 1182. Indiæ. 12. quarta Idus Octobris dedicatum est Monasterium, Dieffen à venerabilibus Episcopis, Hartuico August. & Ottone Bambergen. præfidente Cathedræ Romanæ Lucio venerabili & Apostolico viro, anno Pontificatus eius II. in honorem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & S. Crucis, & S. Mariæ perpetuæ virginis, & S. Ioannis Baptistæ & S. Petri & S. Ioannis Euangeliste.

Anno Domini 1317. Monasterium cum toto vico ibidem, in die S. Clementis, sub Præposito Conrado incineratum, qui postea per Ducem Austriæ Leopoldum captus est &c.

LVDOVICVS Imperator fecit permutationem cum Præposito Dieffen. cui dedit jurisdictionem *Straff vnd Wendl* in Parochia Dieffen, extra maleficia, recipiens ab ipso jurisdictionem in vico Dieffen, quæ antea ad Monasterium spectabat, Anno 1326. &c.

Hi Nobiles sequentes sepulti sunt in hoc Monasterio præter Comites Damifianos,

THORER, cum 42. corporibus,
De GREIFFENBERG,
SMIHER,
GRONATZHOVER,
SCHONDARFFER,
PIENTZENAVER,
ZWERGER,
WIDERSPERGER Rorbach,
WEINLINGER Hornstain,
MINSINGER,
WITELZHOVER.

A D D I T I O N E S

DAMASIA, hodie Dieffen, in Itinerario Antonini Pontes Tesfenij, de quibus dictum in Nomenclatore, delineat. Veteris Norici, pag. 9. & pag. 87.

Sequuntur Diplomata Pontificum.

IN Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. *Innocentius* Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio *Hartvico* Præposito Ecclesiæ S. *Stephani* in *Diezhen*, eiusque successoribus canonice substituendis, salutem & Apostolicam benedictionem. Quociens illud à nobis petitur, quod rationi & honestati noscitur conuenire, animo nos deoet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Proinde dilecte in Domino fili *Hartvico* Præposite, tuis iustis & rationabilibus postulationibus clementer annuimus, & venerabilium fratrum nostrorum *Chonradi Salisburgensis* Archiepiscopi & *Hermannii Augustensis* Episcopi precibus inclinati, Ecclesiam B. *Stephani*, à *Bertholfo* & *Ottone* Comitibus, & *Sophia* & *Lauritta* eorum vxoribus & filius *Permanum* Illustris Viri *Degebenhardi* B. Petro oblatam, cui Deo auctore præesse dinoscere, sub B. Petri tutelam, & apostolicæ sedis protectionem suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Statuimus itaque vt quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in presentiarum iuste & legitime possidet, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis modis præstante Domino potuerit adipisci, firma vobis & illibata permanent. Quod autem præfati fratris nostri *Hartmanni Augustensis* Episcopi annuente studio de Ecclesia B. *Georgij*, in qua prius diuinis eratis studiis mancipati, vos ad Ecclesiam S. *Stephani* transtulistis, quoniam locus ipse tam ad conseruandam religionem, quam etiam fratrum vsibus aptior visus est, laudamus, & nostra auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus etiam vt Capella quæ sita est in loco *Werde* Ecclesiæ B. *Stephani* de cætero cum omni iure subiaceat, & quicquid juris, quicquid dignitatis ipsa hætenus noscitur habuisse, totum in Ecclesiam S. *Stephani* transfundatur. Hoc tamen rationis tenore, vt prædictæ Ecclesiæ S. *Georgij* attentæ sollicitudine prouidere curetis, quatenus diuinum ibi officium assidue Domino impendatur. Porro decimas, quas prænominata Ecclesia S. *Stephani* concessione Pontificum iuste hætenus habuit, eidem loco in perpetuum concedimus. Sanè si quis fratrum vel sororum post factam ibidem professionem, persuadente Diabolo sine licentia Præpositi eiusdem loci ad alia loca confugerit, prohibemus & interdiciamus, vt nullus eos suscipere præsumat, sed tamquam voti proprii temeratores, ad eandem Ecclesiam redire compellantur. Ad hæc adijcientes statuimus, vt Ordo Canonicus secundum B. *Augustini* regulam in eadem Ecclesia futuris temporibus conseruetur. Obeunt, e verò te nunc eiusdem loci Præposito, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, aut fratrum pars consilij sanioris, secundum Dei timorem, & B. *Augustini* regulam prouiderint eligendum. Ad indicium autem perceptæ huius à Romana Ecclesia ruitio- nis & libertatis, Aureum vnum annis singulis *Lateranensi* Palatio persoluetis. Nulli ergò omnino hominum liceat prænominatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, aut aliquibus vexationibus fatigare. Sed omnia integra conseruentur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, vt eorum qui se illic sepeliri deliberauerint deuotioni & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicati fuerint, nullus obsistat. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona hæc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptauerit, secundo tertioque commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine

examine districtè vltioni subiaceat. Conferantes autem interuenientibus Beatorum Apostolorum Petri & Pauli meritis gratiam Domini nostri Iesu Christi, & aeternae beatitudinis pramia consequantur, Amen.



RE
NE

Datum Cluniae per manum Amelrici sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis & Cancellarij. VIII. Idus Februarij, Indict. X. Incarnationis Domini, anno M. C. XXXII.

Innocentij PP. II. Anno II.

Dei gratia Moguntinensis sedis Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, Venerabili fratri Hartvico Prapósito, atque vniuersæ congregationi S. Mariæ apud Diessen salutem & benedictionem. Pia Christianorum vota, & maxime religiosorum virorum, iuxta consuetudinem & pietatem matris nostræ Romanæ Ecclesiæ attendentes, piis eorum postulationibus piam impendere sollicitudinem & congruam exhibere dignum duximus consolationem. Apostolica itaque mandata gerentes aurem facilem precibus vestris tanquam specialiter Ecclesiæ Romanæ pertinentium accommodamus, atque apostolica auctoritate, nobisque concessa potestate Capellam in honore S. Blasij dedicatam apud Egelingen, sicut hactenus cum cura animarum eam possedistis, sic de cetero possidendam vobis firmamus: atque Capellam S. Viti apud Wintabe cum omni iure suo, tam spiritali quam corporali, cum cura scilicet animarum vobis vestrisque successoribus concedimus, atque eandem ex parte Domini Papæ Alexandri tenendam firmamus: idque vigore huius paginæ corroboramus. Saluo antiquo jure Augustensis Ecclesiæ schismate quidem cessante. Præterea vobis tanquam viris religioni deditis, & de quibus nulla sinistra suspicio potest haberi, concedimus, vt ordines à quocunque Catholico Episcopo dictam schismaticam sedauerit prauitatem, recipiatis. Itaque ex parte Dei omnipotentis, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum & auctoritate prædicti Domini nostri mandamus, atque præcipimus, vt nullus hanc jam dictis viris religiosis à nobis collatam munificentiam audeat infringere. Si verò ausu temerario quisquam huius scripti transgressor extiterit, nisi requisitus intra XL. dies resipuerit, ac satisfecerit, vinculo excommunicationis subiaceat, & à corpore & sanguine Domini alienus existat.

Anastasio Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectæ in Christo filiæ M. electæ Monasterij de N. salutem & apostolicam benedictionem. Sicut obedientes ad aeternæ vitæ pramia per obedientiæ virtutem perueniunt, ita inobedientes per inobedientiam damnationem aeternam vtiq; promerentur. Peruenit quidem ad nos, quod cum canonicè ad onus sis administrationis abbatia vocata, onus ipsum non velis suscipere, & recusas alii ministrare, cum Christus non ministrari sed ministrare venisse legatur. Quia ergo melius est obedire quam sacrificare, & auscultare magis quam offerre adipem arietum, deuotioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus jugum Christi, administrationem videlicet abbatia, ad quam vocata es, nullatenus recuses accipere, & mandatis venerabilis fratris nostri Augustensis Episcopi nequaquam audeas repugnare.

Sciens

Sciens quia eidem fratri nostro dedimus in mandatis, vt si ei obedire nolueris, canonicam in te censuram exerceat. Datum Laterani X. Kal. Decembr.

Calistus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Clero & populo *Augustens.* salutem & apostolicam benedictionem Dilectus frater noster H. Episcopus vester ad sedem Apostolicam cum multo labore & fatigatione personæ suæ peruenit; & sanctam Romanam Ecclesiam matrem suam humilitate debita & obedientia recognouit. Quem nos paterna dilectione suscepimus, & tanquam obedientem filium nobiscum diligenter habuimus. Ipsum itaque ad vos cum nostra gratia & integritate sui Episcopalis officij remittentes, vniuersitatem vestram rogamus, monemus atque præcipimus, vt eum benignè suscipiatis, affectione præcipua diligatis, & ei sicut Patri & Magistro vestro, nec non & animarum vestrarum Episcopo reuerentiam & obedientiam humiliter impendatis. Data Laterani II, Kal. Aprilis.

In nomine Domini, Amen. Anno verbi incarnati Millef. C. LXXVIII. Ex lib. Tradit. M. S.
Indict. XI. mense Septembri, solutus est census Rom. Ecclesiæ de Conobio S. *Mariæ in Diezhen*, à retroactis annis retentus, vsque ad ipsum annum, per Præpositum *Degenhardum*, in manus *Sifridi Moguntina* Ecclesiæ Scolastici, à Domino Papa *Alexandro* ad hoc literis Apostolicis transmissi. Anno Pontificatus eius XX.

Notum sit omni Ecclesiæ fidelium, tam futuris, quam præsentibus, quod Comes *Hainricus de Wolfratehusin* conobium quod situm est in *Diezhen*, principalem scilicet locum suum, possessionibus multis amplificauit, præsentem eiusdem loci Præposito *Hartuico*, & alijs multis nobilibus & vulgaribus astantibus. Anno namque M. C. LVIII. die Kal. Maiarum, tradidit possessiones subscriptas per manus nobilis hominis *Edalcalci de Vffildorf*, quicquid possedit in eodem *Diezhens*, agros, homines, & piscationis iura in lacu qui dicitur *Ambersee*, qui eodem loco vicinus est, & siluam magnam cuius fines transeunt à loco eodem *Diezhens*, vsque ad montem qui dicitur *Bisnberch*, & venationes bestiarum, ceruorum, castrorum & licetorum in flumine *Ambre & Rote*, in potestatem Præpositi *Diezhens*, & fratrum eiusdem loci constituit. Tradidit etiam eodem modo prædia sua in *Mandichingen*, quatuor scilicet curias cum hominibus incolentibus eas, & omnes homines suæ proprietatis in eodem loco, exceptis his qui incolunt terram, quam tradidit idem Comes S. *Mariæ*, & S. *Oudalrico* in *Augusta*. Tradidit etiam hortum & partem nemoris ad se pertinentis. Tradidit etiam eodem oblationis modo prædia sua apud *Wintake*, *Schondorf*, *Luttinbouin*, homines, agros, siluas, culta & inculta omnia ad se pertinentia ex integro obtulit. Tradidit etiam urbem quandam in montibus sitam, quæ vocatur *Shonenberch*, & montem vicinum qui dicitur *Iringisberch*, & adjacentia iuga vsque *Wenpen*, ea videlicet ratione vt vrbe destructa nunquam alia persona præsumat reædificare montes prædictos in posteras generationes, & in testimonium eiusdem conditionis tradidit dimidium mansum in loco qui *Wengen* dicitur. Hæc etiam tradidit in eundem locum quicquid possedit in *Bozano* vinearum, agrorum, hominum, culta & inculta, nihil sibi nec alijs residui relinquens. Tradidit etiam per manum nobilis viri *Gotefridi de Anedorf* partem fontis in *Halle*, quæ vocabulo illorum dicitur *Achtail* per singulos annos pondera salis sex scilicet talentorum præcia. Omnia supradicta tradidit S. *Mariæ* sæper virginis, & S. *Stephano* protomartyri in *Diezhen*, vñibus fratrum Deo seruientium inibi omnimodis profutura, pro remedio animæ suæ, & fratris sui *Otonis*, qui in expeditione regis

Lotharij

Lotharij in obsidione *Papie* ciuitatis obiit, & omnium parentum suorum, & omnium fidelium Christi defunctorum. Huius traditionis testes sunt:

De vffildorf	De Anedorf	
Idem Oudelschalchus.	Gotefridus.	
De Seuel	De Wilhaim.	De Lochusin
Degenhardus.	Bernhardus.	Ameltus.
De Starcholtishouin	De Stainibach	
Adelbertus.	Härtnidus.	
De Wolfrath.	De Schallechaim,	De Arbedorf,
Lazarius.	Hainricus	Ortolfus & frater eius.
De eod. loco	De Wlfrathusin	
Oudalricus.	Gramannus qui & Wlsvvinnus dicitur.	
De Selvve,	De eodem loco	De Froutingen
Hainricus & frater eius.	Sibandus.	Luitfridus.
De Kirichaim	De Andechs	De Tagedinsvvanck
Bernhardus	Oudalricus.	Oudalricus
De Hufin	De Raistingen	De Raistingen
Theodericus	Oudalricus.	Goteboldus & Bernhar-
De eodem loco		duſ fratres.
Geroldus.	De Andechs	De eodem loco
	Ludevvicus.	Berhtoldus.

Nouerit omnium Christi fidelium tam futurorum quam presentium discreta sollertia. quod Comes *Hainricus* nec non & ministeriales sui tradiderunt *S. Mariae*, *S. Stephano* protomartyri in *Diezhen*, partes salis in *Halle*, duo scil. *Athais* in loco qui dicitur *Vbereche*, & tertiam partem vnus vntialis in loco qui dicitur *Houbtacchere*, & dimidium locum patellæ in loco qui dicitur *Cherie*, domum locumque in quo sita est eadem domus, in loco qui dicitur *Dineslat*.

Notum sit omnibus Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris, quod Comes *Hainricus* tradidit prædia sua per manus *Wlsvvini*, qui & *Gramannus* dicitur *S. Mariae* in *Diezhen*, mansum vnum in loco qui dicitur *Amphrun*, & quendam *Gozvvinum* cum fratribus suis, & alium mansum qui dicitur *Ellenpoge*, & quendam *Chunradum* cum fratribus suis. Huius rei sunt testes: *Berhtoldus* & frater eius *Luitoldus* de *Boule*. *Marcvvardus* de *Hufin*. *Albericus* homo eiusdem *Wolfvini*. *Gebehardus* de *Handen*. *Rilandus*, *Chounradus*, *Gerungus*.

Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus, quod Dominus *Hainricus Ratisponensis* Episcopus tradidit prædium suum *Telbes*, per manum *Alberonis* de *Starcholtishouin* *S. Stephano* protomartyri in *Diezhen*, rogatu ministerialis sui *Routperti* de *Boule*, pro requie animæ ipsius *Routperti*, qui in expeditione Regis *Lotharij* defunctus est. Huic prædio nos addimus dimidium mansum, quem bonæ memoriæ *Berhtoldus* de *Svraphusin* pro requie animæ suæ *S. Mariae* in *Diezhen* dedit. Ipsum quoque prædium annuatim persolvere debet quinque carandas vini. Huius rei sunt testes, *Albero* de *Starcholtishouin*, *Wernhardus* & frater eius *Friderus* de *Homeris*, *Chounradus* de *Scondorf*, *Gebolfus*.

Notum sit tam futuris quam presentibus, quod Comes *Hainricus* suam principalem Curiam in *Diezhen* tradidit *S. Stephano* protomartyri pro requie animæ suæ, nec non & parentum suorum. Huius rei testes sunt, *Richerus* de *Hohenburch*, *Gotescalchus* & *Ludevvicus* de *Hohenreine*. *Eberhardus* de *Boule*, *Heinricus* de *Meringin*, *Egelolfus*, *Henricus* de *Tanchirchen*, *Gotfridus* de *Anc*

Deut
vulgò
Dil.

de Anetorf. Dietmarus de Diezzen. Sciendum est quod idem Comes *Hainricus* tradidit prædium suum quod situm est *Wengen* ad eundem locum pro liberatione animæ ministerialis sui *Magensen*, qui occisus est in obsidione castri *Valaia*. Huius rei sunt testes *Gorefridus* de Anetorf. *Eberhardus* de Buole, *Wolfv* vin de Nuuaarn. *Rapoto* & frater eius *Hainricus* de Tanchirchn, *Hainricus* de Meringen. *Ortolfus* de Birichn vvang. *Egelolfus* de Wolfratch. *Leo* de Munigisingen, *Walfridus* de Berchah. Munisingen.

Notum sit omnibus Christi fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod Dominus *Otto* venerabilis Episcopus *Babenbergensis* prædium suum in *Chirhaim*, quod emit à quodam *Alberto*, qui vulgo *Zollo* vocatur, sine ullius contradictione de *Pfaffinhouin* tradidit *S. Mariae* in *Diezzen*, vsibus fratrum Deo inibi seruientium omnimodis profuturum. Tradidit & aliud prædium per manum fratris sui *Bertholdi* March. in *Musingen*, quod ipse emerat à religiosis Canonicis vitis de *Rore*, & in suis vsibus per multos habuit annos, nullo sibi contradicente vel obstante, *S. Mariae* semper virginis in *Diezzen*, IV. scilicet Curias, III. molendina, cum pratis, & agris, & hominibus, qui sui juris vel proprietatis fuisse dinoscuntur, & Ecclesiam eodem loco sitam, & saltum quendam vicinum eidem loco, qui vulgò *Arnhart* vocatur, & decursum fluij, apud quem ipsa molendina sita sunt. Ita vt nulli hominum liceat juxta eundem fluium in supra dicto prædio plura extruere molendina, nisi per licentiam Præpositi *Diezensis*, & fratrum eius, ne reditus & tributa eiusdem in aliquo attenuari vel corrumpi videantur. Tradidit etiam ad eundem locum Ecclesiam *Smieben*, qua sibi hereditario jure in possessionem cesserat, & Capellam in *Brunnen*, & Ecclesiam in *Musingen*, cum omni supra scripto prædio. Dedit & calicem vnum, duas casulas, quatuor capas purpureas, omnia supra dicta tradidit idem venerabilis Episcopus *S. Mariae* semper virginis in *Diezzen*, fratribus Deo inibi seruientibus, omnimodis profutura.

Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod Dominus *Heinricus* *Ratisponensis* Episcopus tradidit prædium suum *Telbes* per manum *Adalberonis* de *Starcholfeshouen*, *S. Stephano* protomartyri in *Diezen* rogatu ministerialis sui *Ruotperti* de *Buole*, pro requie animæ ipsius *Ruotperti*, qui in expeditione regis *Lotharij* defunctus est. Huius rei sunt testes *Adelbero* de *Starcholfeshouen*, *Werenhardus* & frater eius *Fridericus* de *Homeris*, *Cuonradus* de *Scondorf*, *Geboldus* de *Grauendorf*. Vid. sup.

Ludouicus Dei gratia Comes Palatinus *Rheni*, Dux *Bauariae*. Nouerint vniuersi præsentis literæ inspectores, quod nos de æterna salute tractantes, ob remissionem peccatorum nostrorum duas Curias in *Schondorf* ad nos jure proprietatis pertinentes, vnà cum hominibus ad easdem spectantibus, & omnibus ipsarum pertinentiis, videlicet in agris & siluis, pratis & aquis, cultis & incultis, Ecclesie *Diezensis* liberaliter cum aduocata earundem dedimus ipsi in perpetuum seruendas. Dantes super hoc dictæ *Diezensis* Ecclesie in testimonium præsentem literam, sigilli nostri munimine roboratam. Actum in claustro *Diezen*, An. Domini M. CC. LVIII. in die *S. Benedicti* I. Indictione. Huius donationis testes sunt, *Hadmarus* liber de *Laber*, *Magister Dietricus* Vicedominus Præpositus *Illnustr*, *Hainricus* de *Pasingen*, *Ludeuicus* de *Andehse*, *Hermanus* & *Vlricus* de *Pherin*, *Berchtoldus* & *Ortvinus* *Giffones*, *Otto* de *Widesperch*, *Grifo* de *Vndavve*, *Otto* de *Sildilstorf*, *Chunradus* de *Hochenvvanch*, & alij quam plures.

Hæc prædia fuerunt obligata *Grifonibus* de *Vndavv*, quæ ego *Chunradus Diezensis* Præpositus persolui pro XXXVI. libris Augustæ monetæ.

I.

ANNO Christi cccxxxii. primus in hanc Ecclesiam huius Praeposituram Hartvico capti bono odore & nota industria, approbante Hermanno Episcopo Augustano, inde acciuerant. Is quondam aulae Bavaricae Cancellarius, ad monasterium illud forte venerat in comitatu Principis, cum ecclesiam ad vespertinas Dei laudes ingressus, verba illa Christi per voces cantantium accepit, *Amice quomodo hic intraisti, non habens vestem nuptialem?* quae ipse verba ad se referens, & ornatum suum sericum ac versicolore m Evangelicis nuptiis parum conuenire interpretatus, mundo nuntium extemplo remisit, Canonicumque regularem induit. Quia vero Dieffenense monasterium a S. Georgij ad eadem S. Stephani translatum erat, eius translationis (annitentibus simul fundatoribus & Episcopo Hermannino) confirmationem cum aliis priuilegiis ab Innocentio II. Pont. obtinuit. Interim tamen monasterium S. Mariae dudum coeptum, Otto Comes a Wolfartshausen cum propinquis suis Comitibus & Marchionibus Andexiensibus egregie urgebat, Hartvico etiam non impigre allaborante. Qui praeter Canonicorum fodalitium, & sanctimonialis rexit separato clausas coenobio: rexit, inquam, ea moderatione & prudentia, quam B. Mechtildis earum Praeposita perspecta sanctitas commendat. Demum anno gubernationis XLI. seruus bonus & fidelis vocatus est in gaudium domini sui: cuius corpus ante altare S. Iohannis Euangelistae ad parietem Aquilonarem sepultum, latam *av&saiv* exspectat.

II.

Hartvicum optimum in Christo patrem secutus est bonus filius Degenhardus, domi nobilis. Qui huic loco XXXI. annis sancte praefuit. Praeter alia, quae resolutus est, aedificia, anno eius nono, hoc est Christi Dei hominis c. lxxxii. perfecta est ecclesia B. Mariae Virginis, eodemque dedicata IV. Id. Octobris, a Dn. Othone Bambergensi praefule, Bercholdi Comitibus ab Andex filio, praesente Hartvico Augustae Episcopo, Otho autem dedicationis officio minime contentus, monasterium illustrium suorum progenitorum sepulturam nobilem, praediis compluribus donauit. Sepultus est Degenhardus prope januam sacelli S. Spiritus, infra Hartvicum.

III.

Nec degenerauit Ortliebus, anno c. lxx. cc. i. v. coenobio praefectus: qui quae deerant coenobij structuris, nauiter compleuit, auxiliarem manum ferente cum primis illustri principe Othone Duce Meraniae (cuius parens Bercholdus in Capitulo haud pridem tumulatus fuerat) eiusque propinquis ac familiaribus, qui sua praedia certatim dotandae recenti Ecclesiae contulerunt. Sed & Ortliebus ipse, antequam Praeposituram iniisset, erexit S. Petri Ecclesiam in Pridrichingè fundamentis de suo patrimonio, eamque postea, & plures alias parochiales Ecclesias coenobio curauit vniendas ab Innocentio III. Rom. Pont. Vt vero ad Deum expeditiori pergeret itinere, Praeposituram suam sponte posuit, duobus ferè ante mortem mensibus, cum eam annos circiter XX. tenuisset. Sepultus est in templi umbilico.

IV.

Successit oneri Henricus vir prudens & industrius c. lxx. cc. xxiv. Oratorum interius (chorum vocamus) ornauit sacris picturis, auxit priuilegia, & annis in munere laudabiliter exactis octodecim ac semestri vitam cum morte commutauit. Post

V.

Post eum præfuit Albertus, orsus anno 1000. XLII; qui vestigiis insistentis decessorum, & spiritualia sollicitè, & temporalia curauit diligenter. Licet quendam, quæ ei fuit cum loci huius municipibus, propter raram iudicij formam describere placuit ex antiquo codice. Is ergo sic habet. Nouerint uniuersi presentem inuenientes & audientes paginam, quod conuersione B. Pauli Apostoli, presentibus Domino Conrado Decano de Winckler, qui vicem gerebat Domini Sibotonis venerabilis Episcopi Augustani, & Hainrico iudice de Starenberg, Dominus Albertus Præpositus & totus Conuentus Ecclesie Dieffensis, obtinuerunt sub stola sua iureiurando, quod nec ciues ibidem, nec quisquam hominum, aliquid juris habeant, vel habere debeant in eo prædio, quod ciues prædicti nominabant locum communem, ad præiudicandam Ecclesie iurisdictionem, quod in vulgari dicitur gmainde: cum illustris vir Hainricus Comes de Wolfrathusen prædium prædictum & alia plura prædia sanctæ MARIÆ perpetuæ Virgini delegando tradiderit in usum fratrum ibidem iugiter Deofamulantium. Huius rei testes sunt, Conradus Decanus de Winckel, Gotschalchus de Widersperg, Hainricus iudex de Starenberg, Hainricus de Pestnacker dictus monachus, Güntherus iudex, Conradus iudex de Ersingen, Meinhardus præco, Hainricus præco, Conradus Senfio, Haertvicius, Burckardus & filius eius Conradus, Hainricus Rößlein, Marquardus Slichio, Conradus Murator, Hainricus Faber, Vhricus Maiso, Wernberus Latinus, & alij quàm plures. Acta sunt hæc anno gratiæ 1000. XLVIII. in claustro Dieffensi. Et ad iudicium talis iustitiæ, pastor armentorum in foro claustro Dieffensi i vicino, Præposito Ecclesie Dieffensis dedit solidum legalem, ex quo fundatus est locus Dieffensis, singulis annis, & adhuc XX. den. persoluere tenetur quia omnis locus pascualis in parochia Dieffensi situs, ad ipsam Ecclesiam ex collatione Principum nobilissimorum de Wolfrathusen & de Andex spectare videtur. Hæc ibi. Verum diu post Hieronymus Præpositus cum eadem. lis repetere, causâ cecidit, & fundus ille municipibus adiudicatus est. Albertus autem, ut ostenderet, quàm esset locus superior amandus, dignitati renuntiavit libens volensque post nouennium & quadrimestre quàm acceperat. Tum ad benè moriendum sese comparans, anno vertente vitam clausit.

VI.

Sextum Præpositum Pollinga dedit, cum suâ non obscura laude. Conrado nomen fuit. Cuius viri quod maior virtus erat, hoc magis, permittente Deo, exercitâ aduersis. Nam ipso anno 1000. ccli. quo ad regendum accessit, V. Id. Augusti, horrenda grandine pessumjerunt omnes fruges nostræ tam hibernæ quàm æstiuæ, tum in agro Dieffensi, tum alibi, ad numerum XXX. prædiorum maiorum ac minorum, cum decimis septem ecclesiarum, nimirum Brunnæ, vtriusque Mæsing, Wessling, Frieting, Mischenried & Eschenloch, quibus malis non defuerunt aliæ vexationes & cruces quotidianæ; quas tamen Conradus velut alter Iobus animo inuicto superauit: & quod mirum esse potest, in tantis calamitatibus non tantum nihil prædiorum monasterium auertit, sed alia emit, alia olim oppignorata redemit, ac post annos Præposituræ XIII. cum dimidio, migravit è vita.

VII.

Ad scopulos delabitur historia, ad monasterij naufragium. Henricus homo iuuenis, huius ecclesie Canonicus, anno 1000. ccliii. electus, decessorum suorum dissimulatis optimis exemplis, in diuersa abiit, cuius luxum, quia non ferebant redditus, prædia complura distraxit, & cuticulæ solum studiosus, de commodis ecclesie sibi commissæ nihil pensi habuit. Igitur cum

aliquando per Christi natalem totus sacer apparatus ex auro, argento, ac gemmis super arâ maximâ expositus, post Vesperas non in sacrarium reponeretur, sed in malè munito armariû, altari proximum, coniceretur; duo aurifabri, pictore socio, re obseruatâ, noctu armarium effringunt; quidquid auri, argenti, gemmarum aderat, asportant; vestitas iis sacras reliquias haud procul à templo fundunt. Ex eo sacrilegio nihil restitutum, nisi pars gemmarum, ab vno de furibus, Schongauie capitis damnato. Non poterat verò non sentire tam graue dânum Henricus: sed dum criminis insinuat quem minimè debèbat, documento fuit, & quàm cautè in suspicionibus agendum, & quantâ diligentia curandû sit, nè qui vult alios arguere, ipse habeat quod arguatur. Igitur vir nobilis de Gissonum familiâ, ordine presbyter, conditione parochus in Frißing, Henrico aliàs exosus, in crimen vocatur. Gisso negat, & facinus à se coram ecclesiasticis iudicibus legitimè amolitur. Quamuis autem hominem iniuria morderet, persuaderi tamen passus est, ad pacem concordiamq; cum Henrico in eundam. sed ea diuturna haud fuit, & recrudescens in animo Gissonis infamis calumnia memoria vindictæ modum obtulit. Ergò intempestâ nocte cum fides hominibus cubiculum sui calumniatoris (nouerat scilicet, quid ibi inueniret) per fenestram inscendit, Henricum (heu pudor) deprehendit in flagitio, & vnâ cum seceris consorte insigniter depalmatum, magnâ ignominia primùm ad canobij sodales, tum ad Episcopum defert, à quo pro meritis acceptus, & malè gestâ dignitate exutus, vixit postea XXIX. annis vitam ærumnosam.

VIII.

Anno cIo. cc. lxxv. Otho gubernandi onus suscepit humeris imparibus. Henricum namque ipsum imitatus, à loci Ordinario defectus gradu est, anno eius decimo.

IX.

Subiit anno cIo. cc. lxxxv. Seifridus Bachreiter. Qui Hartmanno Episcopo pro confirmatione præsentatus, obiectis sibi variis criminibus, repulsam tulit. Domum reuersus quamuis tristis, tristitiam celauit tamen pulcherrimè. Interea dum sodales de subrogando alio diutius deliberant, ecce tibi, moritur Episcopus, Wolfhardò succedente. huic sistit se Seifridus, ac confirmationem obtinet nullo negotio. Verùm post quadriennium, ob rem malè administratam, & maximè, quòd propinquis nimium studeat, abdicatus, ignominiam non tulit, sed clanculum (incertum quò) abiuit.

X.

An. cIo. cc. xc. ne, qui pessumdaret cœnobiû, deesset, denuò electus Otho est. Viginti prædia dilapidauit vno anno, quo factû est, vt euoluto quadriennio iterum loco motus, in pagum Schmiehen amandaretur, curam pastoralem loci animarum nescio an meliùs gesturus, quàm Præposituram.

XI.

Accitus est deinde an. cIo. cc. xciv. ex Schamhaupten (caput verecundû latinè dixeris) Fridericus genere quàm morib⁹ nobilior. neq; is per ostiû ingressus in uille est, sed aliunde, artibus nimirum & ope suorum consanguineorû ascendit. Vt primùm confirmationem obtinuit, equitibus (videtis pompam) amplius quinquaginta stipatus accessit, sed longè aliter recessit. Nā annus tertius vixdû dimidius abierat, cum dissipatâ re familiari, desperatione captus, comitate vno famulo, nocturnam fugam cepit: & manè Conuentui, vt sibi alium pastorem legerent, renuntiare iussit. Ipse autem ad professionis suæ monasterium reuersus, ibidem obiit inglorius.

Misertu

XII.

Misertus tandem Deus afflictæ nostræ domûs, salutem dedit in. manû feminæ. Mechtildis princeps, quæ filiorum Ludouici (postea Imperatoris) & Rudolphi nomine superiorem Bauariam regebat, fando acceptis monasterij calamitatibus, ipsamet huc adiit, & Bertholdum Conradi, qui jus dicebat municipibus, filium (Scholasticum huius loci, vocat vitæ scriptor.) hominem tunc laicum, sed rebus gerendis sanè aptum, oconomum (nec erat in domesticis, qui reclamaret) constituit. Is explorato mox domûs statu, deprehendit ad c. l. l. ccc. libras den. ingentem, per id tempus summam, in ærealieno, prædia LXXXII. alienata, sed breui dexterate tantâ promouit rem familiarem, vt exhibitis Principi post biennium accepti & expensi rationibus, in Præpositum (nam regularem Canonicum jam antea induerat) communi omnium consilio eligeretur, nec grauatè à Degenhardo Episcopo confirmaretur. Erat autem litteris, vt illa tempora ferebant, liberaliter imbutus, corpore præualidus, prudens animi, linguâ disertus, facie (ita loquitur historia coæua) terribilis, vitiorum vindex. Nouus igitur Præpositus ante omnia ad instaurationem collapsæ disciplinæ adiectâ manû, consilio præcipuè Conradi vsus est germani sui, monachi Dominican. Conatum boni viri plerique vitæ veteri affluenti, adeò tulerunt ægrè, vt aliquando simul non. minùs septem. è fratribus excederent, quorum tamen. quinque, emendato postea consilio, reuersi. Eorum habitu Berchtoldus nihil territus, adolescentulos recepit, quibus, quam. voluit, formam facillè impressit. Porro cum sodalitiū auxisset eouisque, vt sedecim presbyteros haberet, oblatium instituit (certos quosdam redditus, in. vsus fratrum extraordinarios, ab ipsismet dispensandos) tunc fortasse, ob vigilantiam Præpositi tam nauis, non. malum, sed quod proprietatem postea inuexit, & aliorum vitiorum fons & origo fuit. Mechtildis autem viri virtutem suspiciens, ornauit eum aulicis honoribus. *Assumpsit enim eum, inquit Chronicon, sibi in. principalem. Capellanum, & sigilli sui secretarium: deinde constituit ipsum totius curiæ suæ magistrum. super premium & prouisorum; & renouauit elapsas dignitates libertatèque, prijs temporibus à nobilissimis Principibus Ducibus Meraniæ Præposito IV. Heinrico & omnibus successoribus concessas.* Quâ Principis gratiâ benè vius Berchtoldus, redemit prædia distracta, reparauit deserta, patronos colonorum (aduotatos vocant alij) qui se intruserant in. partem pensionis, plurimos remouit. His accessit prædiorum aliquot ab eodem Principe donatio. Obiit Berchtoldus anno Christi c. l. ccc. xvi. gubernationis x. i. x. in festo SS. Trinitatis, cum in matutinis Laudibus cantaretur Responsorium, Summæ Trinitati.

XIII.

Et secundum Conradum (Berchtoldo non. dissimilem, sed suauiorum moribus) tentatio probauit, qui eodem anno Præpositus creatus, dum autumno exeunte ultra Alpes negotiorum gratiâ moratur, Leopoldus Austrius, Friderici contra Ludouicum Cæsarem electi frater, terram Bauariam cum exercitu ingressus armatorum, municipium cœnobiumque (excepto solo nostro horreo pistrinòque) ignibus deleuit. quarto autem post anno, ipsum quoque pistrinum cum omni supellectile hostili manu periit, & Præpositus Monachium, quam urbem obsidebat Leopoldus, captiuus abductus; sed Ludouico superueniente & obsidio soluta, & ille liberatus est. Qui

ut primùm ex calamitate respirauit, mox instaurat monasterium. addit reparare afflicta belli clade prædia, oppignorata redemit, amolitur aduocatos. Dein distractis fundis aliquot remotioribus, emit alios propinquiores, & diuersarum ecclesiarum patronatus jura, decimas ac dotes. Et iam laborum finem aduenisse cogitauerat, cum ecce templum, oedeo excepto, totum corrui: quod ipse de nouo impensis magnis & sudoribus erectum, auxit etiam nouo S. Spiritus sacello, adiuuante viro nobili Vdalrico Widelshofer, cuius liberalitate fundatum, ibi est sacrificium quotidianum. nec dissimili exemplo Arnoldus à Maxenhausen, ut vxoris innocentis cadem expiaret, sacrum aliud instituit in arce D. Leonardi. Sacellum denique S. Martini in Haderen erexit Conradus ex ruinis. Qui cum præfuisset annos XXXIV. & menses propè duos, gubernaculum deposuit suapte sponte, anno cld. ccc. LI. festo S. Alexij: quo die Conuentus Oblatum ditauit aliquot fundorum pensionibus. superque vixit annis VIII. mense vno, diebus circiter viginti. Sepultus in sacello S. Spiritus.

XIV.

Henricus inde Meilinger secutus, non Conradi, sed suo sed pessimo exemplo vixit. Prædia & fundos plurimos decimasque partim distraxit ac vendidit, partim ad eò oppignorauit, ut nulli omnino fructus inde perciperentur. Pecuniam verò inde confectam, vel luxu dissipauit, vel in propinquos effudit. Quocuius flagitio, eò deuentum est inopia, ut cum sodales peracta re diuinâ, pransum irent, inane autem esset penu & mensa vacua, & nec teruntis in arca, necesse sacros calices cauponibus opponere, ut esset vnde viueretur. Ausus tamen est in tantâ suâ dissolutione aliis seuerus esse: & nouum quidem carcerem pro fratribus extruxit, sed ipse anno præfecturæ XXVIII. dignitate proturbatus primus eo clausus est. Nihil gesit memorabile, nisi quòd non diu antequam abdicaretur, altare B. Mariæ Virgini in templi parte infima erexit. defunctus, tumulum ante altare S. Barbaræ accepit.

XV.

Ecclesiæ nostræ iterum quassatæ, iterum succurrit patriæ Principis pia sollicitudo. Ioannes superioris Dux Baviaræ, Ludouico Cæsare dignus nepos, huc veniens, simul acciuit Vdalricum Schleher presbyterum, bonæ famæ virum & peritum rerum agendarum, pastorem in Kœnigsdorf; quem assentiente Ordinario, nec Conuentu repugnante Administratorem fecit. Is officium tam nauiter impleuit, tam sapienter spiritualia cum temporalibus attemperauit, ut tandem Præpositus canonica electione fieret ac confirmaretur. Reparauit ruinosa aedificia, prædia redemit obærata, proque facultatibus quas attulerat è sæculo, decreuit multa diuino cultui augendo: è quibus est, ut *Almâ Redemptoris* quotidie cantetur ante sacrum solemne. Vicam clausit anno regiminis vndecimo, pridie Idus Nouembris.

XVI.

Iacobus post eum Bienzenavver quadraginta ipsos ad clauum & octo annos sedit. Rem familiarem satis vtiliter, sed impensis magnis procurauit; captato eorum, quibus eum agendum erat, fauore ac beneuolentiâ per larga symposia. Sic multa, quæ Henricus Meilinger prodegerat, recuperauit. Qualis autem quantûsque fuerit in disciplinæ regularis cultu, facile est cogitare. Oblatum (vtilius sæculi vtamur verbo) malorum ceterorum seminarium adhuc vigeat & multa incommoda inuexerat, quæ vti tollerentur, Alberti Ducis opera, vocati sunt ex bene reformato Monasterio Vnderisdorfensi, qui Diessenses doceant

rent meliora. Ii fuerunt Ioannes Schoen Magister artium, postea Præpositus; Andreas, Augustinus, Silvester, & quidam anonymus: quibus licet à nonnullis acriter resisteretur, constanter tamen in id, cuius gratia aduenerat, incubuerunt. Fama est, & Iacobum Præpositum reformationi oblitisse varias per artes, atque hanc fuisse causam, ut simulata professione Tyrolensi, in Rotenbuech veniret, hominem suis morib. similiorem designaturus successorem, Sepultus est autem ante aram S. Crucis.

XVII.

Thomam Vend Rotenbuchensem Canonicum à Iacobo nominatum successorum iam significatum est. Is verè pietatis reformationem vel non intellexit, vel aliàs neglexit; ex æternæ œconomiae ac rei rusticæ scientior studiosiorq;. Ad Tyrolensem vindemiam profectus, vitam ibi morbo finiit, annis Præposituræ suæ euolutis nondum platuribus.

XVIII.

Conradus Sartoris subiit anno cto. cccc. xlviii. Cuius electionem non defuerunt qui studio ambitionis impugnarent: quod ille ut aduertit, furori concedendum ratus, renunciauit suo iuri. Verum ea ratione suæ potius quieti consuluit, quam Monasterio, cui maiores hinc impensæ imminabant. Ergò Augustam profectum Conradum ambitiosi illi apud Petrum Episcopum & Cardinalem verbis supplicibus, apud ministros eius donis muneribusque, ut sibi Præpositus designaretur, institerunt; nihil minus, quam de Conrado, cogitantes, sed sibi quisque optimè sperantes. Petrus eorum perspectis artibus & ambitu, lupos hiantes pulcherrimè elusit, ac Conrado semel iam electo parere iustos remisit domum. Ille sic confirmatus, ædificiorum alia refarciuit, ampliat, noua alia construxit, nec Vndersdorffenses interim restituenda disciplina segniter aduigilabant. Ipse demum anno præfulatus decimo è corpore discessit ix. Kal. Febr.

XIX.

Conradum Marstaller œconomum deinde elegerunt, quibus horri erat disciplina regularis, hominem nec literis ex cultum, nec aliis regèdis natum. Quam electi inèptitudinem Ioannes Schoe Decanus Petro Episcopo coram exposuit. Responsum est ab illo, *Magister Ioannes, non possunt omnes esse magistri, sed sufficit si alias fuerint dispositi & probi.* Conradus accepta confirmatione latus domum rediit: sed qui in œconomia laudem alicuius diligentiae collegerat, hanc quoque breui perdidit, indulgentia in consanguineas corruptus. Decanum reformationi insudantem adeo non iuuat, ut & manifesta quorundam crimina dissimularer. Eam ignauiam haud diutius tulere Dux Albertus & Petrus Cardinalis, qui abdicare iusto concesserunt tamen splendide viuendi liberalem apparatus; de cuius reliquiis ipso mortuo frustra litigatum est à consanguineis. Vixit Præpositus tres annos, non multum post superstes.

XX.

Tandem Ioannes Schoen, hoc est, pulcher (& verè pulcher, qui tam diu exulantem spiritualem pulchritudinem huic nostro Monasterio restituit) post viginti annorum labores in Decanatu exantlatos, factus est Præpositus. Is reformationem, omnib. iam remoris sublatis, aggressus; fratres non tã verbo quàm exemplo docuit: & ut oves suas bonus pastor semper in oculis haberet, in cõmuni dormitorio, ut ex ipsis vnus, habitauit. Tum officiales potiores sui similes creauit. Vdalricum Illmunsterer Schirensensem, œconomum, & Vdalricum Weilheimer, faculare quondam Canonicum in Monte sancto, Decanum. Sederant, quibus iugum Christi durum erat & onus graue: ex quibus aliquando simul qua-

tuor Presbyteri furtim abierunt, & per internuncios. vt sibi vitam alibi liceret degere, obtinuerunt. Et aberat adhuc Ioannes Thorer, qui iam, Conrado gubernante, equo clam discesserat, hostilesque ac minaces litteras miserat Præposito. Enimuerò Conradi eos non timuit successor. Comperto per exploratores lustro vagi hominis (erat autem tunc in pago Menchingen) eum comprehendit, & duro carcere constrictum vltra annum tenuit. Sed inuenit is tandem, vnde euaderet, frusto quippe costi lateris repagulum dissoluit, longo sed pertinaci labore. Ita cum erupisset, comparatis armis, nihil non hostile gessit in res hominesque Monasterij, equos abstulit, fabrorum incendit ligna, vnum famulum sagitta interfecit; grauiora ne faceret, Alberti Ducis & Petri Cardinalis intercessit auctoritas, qui hominem ad pacem minis compulerunt, his conditionibus, vt à Monasterio extorris semper esset, ei verò hinc quotannis decem aurei, quam diu viueret, persoluerentur, qui tandem in Rotenbuech vivendi finem fecit. Liberato itaque à lappis tribulisque agro Domini, Præpositus noster ex Vndensdorffensi professionis suæ Monasterio nouam coloniam traduxit, in qua fuit & successor eius Ioannes Zallinger, Accessit Petrus Hirs ex cœnobio Rorensi, cuius sedulitatem testantur etiamnum pro choro scripti codices. Multas porrò impensas fecit optimus Præpositus in nouas easque planè necessarias structuras, nam hortum Refectorio vicinum, sudibus ad id vsque tempus malè septum, muro cinxit bene alto; & totum Monasterium mœnibus cœpit portisque claudere. Eius quoque est tota ædificatio, quæ nunc partim habitatur à Præpositis, partim ab hospitibus frequentatur. Fatiscentem vetustate S. Stephani Ecclesiam deiecit, Episcopi concessu, erexitque nouam. Ipsius præterea molitio est, turris operosa Ecclesiæ maioris, quam septennio absoluit. Sacrum thesaurum cumulauit multis ornamentis, bibliothecam bonis libris. Abiit ad meliorem vitam, anno laudatissimæ administrationis quartodecimo, relinquens & disciplinam rectè constitutam, & rem familiarem optimè instructam.

XXI.

Successor datus est votis conspirantibus, anno c. 10. cccc. lxxiv. Ioannes Zallinger, vultu quidem seuerus, sed in fratres pietate suavis. Qui quò facilius disciplinam modò constitutam tueretur, suos otium vitare docuit, ac libris describendis occupauit. In negotiis ciuilibus tanta erat existimatione, vt in lite aliquando nobili, quæ ad Cæsareum tribunal agitabatur, arbiter constitueretur. Ruinæ proximum facellum D. Albani nouum fecit, & in templo nostro chorum erexit in sublime, columnis nixum. Addidit granarium quadrato lapide. Mœnia, quæ decessor eius cœperat, absoluit. Eius temporibus vsque in Carinthiam immanitas Turcarum penetrauit: quæ causa fuit, vt venditis, quos ibi habebam⁹, redditis censibusque, eodem pretio vicinos compararet. Porrò significante centum annos scriptum chronicon, bonum alioqui virum extremâ ætate morosorem factum, ac remissius agentem obrectatoribus non caruisse. Mortem obiit an, c. 10. cccc. xcvi. xii. Kal. Martij, sepultus in vmbilico summi templi.

XXII.

Dehinc Conradus Maurer compromisso (scrutinium tentatum quidem, sed caruerat euentu) est electus. Qui dum nominatur, lacrymas non tenuit, præfagas fortè calamitatis secururæ. Erat quidè antea vegeto semper integroque corpore: sed breui morbo Gallico ac podagræ doloribus acceptus ita est, vt ad diem vsq; mortis lecto plurimum hæere cogereretur, accessit malum grauius,

uius, quòd eum fama, seu vera seu falsa, luis venereæ suspicionè consperferat. Chronicum nostrum vocat hominem minus doctum, & consequenter parùm prouidũ. Fuit tamen in dispensandis temporalib. satis dexter, nec rerũ diuinarũ negligens. nã templũ maius latericia testudine & organo, & aliquot altaria sacrarum imaginum quã pictarũ quã sculptarum tabulis ornauit: arã nouam in vestibulo honori Angelorum excitauit: sacellum S. Martini renouauit: pastoralẽ D. Georgij Ecclesiam, mox ruinam minitantem, deiectam solo nouam reddidit. Eius insuper sunt opera, valetudinarium (quod iam in vestiariũ conuersum est) & domuncula presbyteri ad S. Ralfonem habitantis. Ipso presidente exarsit bellum Palatinum in Bauaria, ad quod restringendũ conferre iussus est aureorum millia plus quatuor: quæ causa fuit, vt æs alienum moriens relinqueret, Hieronymo Viti, qui successit, dissoluendũ. Decessit anno CIO. IOXII.

XXIII.

Hic etiã frustrante scrutinio (ambicionem eligentium accusat auctor vitæ eius) per compromissum creatus, in illa incidit infausta tempora, cum Lutherus Germaniam doctrinã suã pestilentia afflatam miscere cœpit seditionibus, bellis, sacrilegiis: quæ res & Hieronymo incommodare visa est. Argumenta certè habeo minimè obscura, itum hic fuisse in antiquum disciplinæ chaos: & ipse, qui docere sanctitatem exemplo debuisset, impuram consuetudinem nescio cum quo dæmonis mancipio habebat, sciente & connuente, sacro magistratu. Ad rem domesticam pro temporũ difficultate sat bene procurauit: & quamuis prædia nonnulla, vt imperatam in belli vsus pecuniam, conferret, alienarit; plura tamen rursus comparauit. At plures abiit ætatis an. LI. Christi CIO. IO. XXXV. Kal. Feb. cum Præpositus fuisset annis XXII. ac semestri,

XXIV.

Depositum ab Hieronymo per mortem onus Ioannes Dietmair suscepit, Weilheimensis, miti anima vir, in pauperes magnificus, sibi temperans, orandi Dei studiosus, Bernardum, suum deinde successorem, habuit granario præfectum: qui abusus viri lenitate impediuit, ne Ioannes admodum in re familiarĩ promouenda esset felix, quamquam, si verum est, quod adhuc narrant natũ grandiores, ad bellum Turcicum ad aliasque patriæ necessitates, supra viginti aureorum millia per annos totidem contulit, mirum non est, paucillum ab eo contractum æris alieni, aut vnum alterumue prædium oppignoratũ. Mortis necessitati parauit anno CIO. IO. LVIII. III. Kal. Nouemb,

XXV.

Ioanni Bernardus eius ciuis mox successit: quem laudare vellem, si verè possem. mores certè hominis non meruere. Vinariam tabernam excitauit ad mœnia cœnobij, impensis sanè magnis, nullo impendio. Prædia non pauca vendidit. Ergo tandem dignitate quam nouennio tenuerat, exutus est.

XXVI.

Dein Vdalricus Trieg Buchloënsis, Sueuus, biennium Administrator audiit, Præpositus quinquennium; homo intemperans, oeconomiam vniuersam ita gessit flagitiosè, vt successori nihil prorsus relinqueret pecuniæ paratæ, nihil vini, frumenti nihil, sed æris alieni multum. Nec tamen, quod sciam, fundorum, distraxit quidquam. (oppignorauit autem, nonnihil, redimen-

dimendum successori) immo vnum emit & alterum, sacellum in Raumenthal construxit honori SS. Trinitatis, & Beati Vdalrici. Tribus locis erexit Christi statuas è cruce cum latronibus, pendentis, quæ tacere nolui, qui deteriora dixi.

XXVII.

Post hunc Ioannes Reismair Oderting natus ad Ambram, pago provincie Landtspergensis, Pollingensis Monasterij presbyter professus & parochus in Beisenberg, Vdalrico relegato Rotenbuchium, cæteris de collegio per alia cœnobio dispersis, vtriusque magistratus auctoritate ad Dieffensem vocatus Præposituram, Monasterio tam fuit utilis, quàm noxijs, qui eum proxime antecesserunt. Annos præfuit XV. desinitque viuere IV. Id. April. anno CIO. IO. LXX. XIX.

XXVIII.

In eius locum eodem anno scrutinio electus Balthasar Günter Krälhontensis. (quæ villa solitaria est parocchia Beisenbergica) in decessoris sui vestigijs, perrexit laudabiliter. Emit opimam vineam Terlaniam ad Athesiam. Ecclesiam S. Rastoni nouam eamque ampliorem condidit. Deposuit curam Cœnobij cum vitâ anno CIO. IO. XI. Nonis Februarij, sepulchrum nactus iuxta aram Sanctæ Annæ.

XXIX.

Simon Werlinus Landspergensis, post obitum Balthasar, IV. Id. Marti, viâ Compromissi Præpositus creatus est, qui adhuc de suis præteritis, presentibus, futuris actionibus Dei iudicium expectat.

ANIMADVERSIO.

Pag. 259. v. 18. fundatrix, lege dominatrix, ita lapis. pag. 263. & seq. pro Diezhen pone Diezen, ita codex MS. ead. pag. & seq. pro Oudalricus, Rourpertus, de Boule, legendum de Buole. Ruotpertus, sicut Heluetij etiamnum gutt / ruet / muet.

EBERSPERG MONASTERIUM
SANCTI BENEDICTI.

EBERSPERG castrum olim inter Oenum & Sennonas, nunc Sempra amnes situm in sylua, quam Ioannes Auentin, lib. 4. fol. 477. Carnodunensem olim appellatam dicit, nunc Eberspergensis vocatur à Sighardo, Comite de Sempra, aduersus Vngarorum irruptiones, admonentibus sacris viribus, Conrado de Hevva ex Hegouia, & Gebhardo Argentinensi sanctissimis ac facundissimis eius temporis viris, conditur. Ab apro quem ibi inuenit, Ebersperg nomen accepit, circa annum 900.

EBERHARDVS & Adalbero, Comites de Sempra, Nepotes Sighardi ex Ratholdo filio. post bellum Vngaricum, cui Anno Domini 955. interfuere, cum Sorore Wilpirga Templum diuo Sebastiano in arce sua Ebersperg construxerunt, An. Domini 970. Ipsi paucis post diebus mortui sunt, & hæc sunt principia huius Monasterij.

VLRICVS, filius Adalberonis, cum coniuge sua Richarda, sorore Marquardi, Carinthiæ Marchionis, Eberspergij Collegium pro Monachis Augustinianis instituerunt, ipsa obiit 1013. ipse 1019. ambo ibidem sepulti.

ADALBERO tertius, filius Vlrici, cum coniuge Richildi, sorore Welpho.